Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 953
Quelle:
Copyright:

Atque ex his simul conficitur, Expositionem nostram hanc non esse illam, quam *Vol.* et P. *cit. col.* 1032. produximus *Bedae* quidem bis inscriptam, sed a nobis potius *Haymoni Halberst.* tributam, cujus etiam, ut notavimus, nomine impressa prostat. Denique nec illa est, quae in *Libros* VII. divisa inter *Bedae* Opera edit. *Colon. cit.* T. I. *col.* 714. legitur. Rem ipse componit *Beda* in supra memorato Scriptorum suorum *Indiculo*, in quo primum se *Libros* VI. dein iterum *Capitula Lectionum* in *Cantica* elaborasse testatur. *Libros* illos VI. impressos habes, *Capitula Lectionum* egregius hic *Codex* noster imprimenda offert. Erit tamen praeterea Editori de altero etiam in *Proverbia* Tractatu circumspiciendum; nam et in haec *bis* commentatus est *Beda.*

Praetensa *Codici* Membrana laciniam offert Sec. saltem IX. nitide exaratam per duas columnas, quae continet *Leonis* M. P. finem *Homiliae V. de Quadragesima*, et Principium I. *de Passione Domini* edit. *Lugd.* 1700. p. 106. et 118. Et prior quidem inchoat a verbis: *Non longe est ab unoquoque quod poscit*, exacteque respondet Editis, si *lenitate praescribit* pro *praescripsit* demas. Istud vero abit in sequentibus: *Sacramentum dominicae passionis* pro *Sacratissimum Dominicæ passionis diem. tam plene* pro *tam plane. Nemo taetram diaboli dominationem* pro *Nemo dominationem diaboli. Patri Deo filius deus* pro *filius dei. Ut quia per adam* pro *ut sicut. refudit generationes* pro *refudit ætates. nisi in hac fide vixit* pro *sacra fide vixit. neque illam aequalem et coaeternam — et putemus* pro *neque illam ita coæternam et æqualem — ut putemus. Quia non est fastidita humilitas nec* pro *Non est fastidita humilitas quia nec. tenebamur obstricti* pro *constricti.* Extrema sunt: *Non tamen ita se abstenuit gloria — —.* Dolenda sane jactura insignis Exempli!

CCCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 118 IX. Folior. 188. f. forma paene quadrata, luculente per duas columnas exaratus, minio, literisque initiorum uncialibus conspicuus, et a. 1790. *Parisiis* adlatus complectitur Ven. *Bedae*, qui Sec. VII. et VIII. *Angliam* suam illustravit, *Expositionem in S. Lucae Evangelium.* Praeeunt mutuae *Accae* Episcopi Opus istud exigentis, et *Bedae* adnuentis Epistolae. *Reverentissimo In Christo Fratri Et Consacerdoti bedæ presbitero acca perpetuam in domino salutem.* Item: *Bedae* Responsum absque Inscriptione: *Mira Vere est et mirae* (vera mire) *doctoris egregii sententia* &c. Sequitur *Elenchus* Particularum XCIV. totam *Expositionem* sistens ad hunc modum: *Praefatio. Lucas theophilo euangelium indicat per ordinem Scripturarum. II. Sacerdotium iusti Zachariæ refertur et uisio in templo qua ei filius angelo reuelante promittitur nasciturus cuius etiam conceptionem memoratur.* &c.